

Alte Drucke

**STVDENTES,|| COMOEDIA || DE VITA STVDIO=||sorum, iterum
in lucem edita, & in || multis locis correcta, authore || M.
Cristophoro || Stymmelio F.|| ...**

Stummel, Christoph

Frankfurt/Oder, 1554

VD16 S 9843

IVDICIVM PARIDIS.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149326

IVDICIVM PARIDIS.

Vnde sit orta trium discordia seuæ Deærum
Iudicium & Phrygiæ, dic age Musa, uiri.
Quinquaginta senex fluitantia numina Nereus
Dicitur in magno progenuisse freto.
Inter quas Thetidis fuerat pulcherrima forma
Esset ut à multis sæpe petita procis.
Iupiter haud tepidas etiam sub pectore flammæ
Sensit, & ingenti torsit amore Deam.
Et nisi tam uehemens tenuisset causa Tonantem,
Sumpsisset niuei cornua sæpe bouis.
Nam Protheus olim Thetidi prædixerat ude,
Infantem paries, qui patre maior, erit.
Ergo ne maius quicquam Ioue mundus haberet,
Peleus assequitur gaudia tanta thori.
Peleus magnanimi genitor prædiues Achillis,
Cuius in imperio Thessala terra fuit.
Qui mox regali conuiuia splendida luxu
Instruit, æquoreæ letus amore Deæ.
Et uocat ad tantos hymenæos omnia cœli,
Omnia & undisoni numina magna maris,
Et quoq; Naiadas omnes, omnesq; Napeas,
Imò & Apollinei numina sancta chori.

F S Letificæ

I V D I C I V M.

Lætissimæ resonat plausu domus inclita Pelci,
 Et dant leticia plurima signa nouæ.
 Hic certant cyathis, illic crinitus Apollo
 Pulsat inauratæ fila sonora lyre.
 Quin etiam ad citharam diuina uoce canentes,
 Aetherei cantant dulcia furta Iouis.
 Sola sed hinc aberat rigidi germana Gradiui
 Spargens in magnos prælia seuæ uiros.
 Vulgus Erin dicit, quæ quamuis paruula primò est,
 Mox tamen extollit sydera ad alta caput.
 Indignata grauem concepit mente furorem,
 Cur nihili fio? cur ego spernor? ait.
 Ergo ne frustra contemnar, tristia letis
 Miscebo, & rixæ dira uenena seram.
 Dixit, & in turbam pomum coniecit ouantem.
 In quo, quam duxit, scriptio talis erat.
 Hesperium hoc pomum, quæ formæ laude supremæ,
 In toto cætu dicitur esse, serat.
 Hic Venus & Pallas, cumq; his Saturnia Iuno,
 De forma subito iurgia magna mouent.
 Et mox Iuno Iouem, uerbis affatur amicis,
 Auribus arrectis cætera turba stetit.
 O qui fulminibus gaudes rex magnæ trisulcis,
 Discute iudicio iurgia nostra tuo.
 Nunc uenit in dubium nostræ præstantia formæ,
 Quæ consors casti sum tibi facta thori.

Præria

PARIDIS.

Præcipere hanc laudem conatur castra Pallas,
Insidias nobis & Cytherea struit.

Quæ tibi nunc igitur fuerit pulcherrima uisa,
Huic pomum poteris tradere summe pater.

Dixerat, à cunctis ingens est murmur obortum.
Iuppiter hæc imo pectore uerba dedit.

Non ego tam magnas possum componere lites,
Nec sunt arbitrij iurgia tanta mei,

Nam uos ex æquo summo complector amore,
Vt meritò formæ præmia cuiq; darem.

Quare ueloci proles Cyllenias cursu
In Phrigiam tristes ducito, nate, Deas.

Inuencies Paridem gelidis in uallibus Idæ
Præbentem bobus pascua læta suis,

Is dirimet quæ iure queat pulcherrima dici,
Is formæ iudex commodus esse potest.

Dixerat, & blando loquitur Venus aurea risu,
Non metuo Momo iudice, chære pater.

Hic Iuno subitam mox excandescit in iram,
Et tales duro protulit ore sonos.

Nos etiam rigido nil iudice Marte timeamus,
Qui tecum solus sæpe cubare solet.

Et iam Mercurius pedibus talaria nectit,
Ad Priami iussus ducere regna Deas.

Iamq; propinquant Phrigij Simoëntis ad undam,
Mercurius pulchrum conspiciet ecce Parin.

Qui

IVDICIVM

Qui baculo errantes cohibebat fortè iuencas,
Ne dispergatur per iuga senta pecus.

Ad quem, cum propius uentum, Cyllenius inquit,
Exponens summi seria iussa Iouis,
Salue Dardanijs iuuenis pulcherrime in agris,
Salue, ne metuas, nam tibi pauca loquar.

Iuppiter Aemonijs ad te me misit ab oris,
Rex ubi connubij gaudia magna dedit.

Quasq; uides non sunt mortali semine nate,
Sed sunt hic coràm Iuno, Minerva, Venus.

Inter quas hodie contentio magna coorta est,
Quæ forma reliquas uincere sole queat.

Et quia non possunt superi componere rixam,
Tu iussu debes arbiter esse Iouis.

Quapropter cuius pulcherrima forma uidetur,
Hanc poteris pomo significare dato.

His ubi fatus erat uerbis Cyllenius ales
Vix Paris hos tremulo reddidit ore sonos.

Me miserum, quid ais? magni est res ista pericli,
Arbitrium formæ numina ferre meum,

Quod culpam uideo nusquam, nil displicet, imò
Iudice me uictrix qualibet esse potest.

O si nunc oculos centum uelut Argus haberem,
Perspicere ut cauta singula mente queam.

Sed quia nos urgent summi mandata Tonantis.
Hæc circumspicte res peragenda mihi est.

Ponite

PARIDIS.

Ponite nunc igitur uestes, nam corpore nudo

Quelibet est oculis conspicienda meis.

Discedant reliquæ, maneat Saturnio Iuno,

Hæc erit arbitrij maxima cura mei.

Sic fatus, uiridi ponunt in gramine uestes,

Et Paridem Iuno talibus alloquitur.

Si Pari nunc nostræ fuerit uictoria formæ,

Pro tanto officio munera magna feres,

Imò tuis Asiæ regnum parebit habenis.

Transcendet rutilos et tua fama polos.

Respondit pastor, peruertunt munera mentem,

Non est muneribus res peragenda tibi.

Posthanc accessit summo Ioue nata Minerva,

Quæ blando tales adidit ore sonos.

Si tua de nostra fuerit sententia forma,

Semper foelici prælia Marte geres.

Semper ab hoste tuo referes uictricia signa,

Prosternes gladijs obuia quæq; tuis.

Subridens iterum dixit: nil prælia curo,

Quin potius placidæ munera pacis amo.

Postea successit pharetrati mater amoris.

Quæ loquitur tali talia uerba sono:

Si mea forma tuis steterit pulcherrima uerbis,

Non ego uel regnum uel tibi bella dabo.

Innumcris etenim sunt talia iuncta periclis,

Sed faciam ut tecum foemina pulchra cubet.

Ne

I V D I C I V M

Ne iuuenile tuum perdas tam turpiter æuū,
 Et flos ætatis concidat ante diem.
 Ac sunt tuta magis Veneris quàm prælia Martis,
 Et fert sæmivcus gaudia multa thorus.
 Ergo tuis Helenam comprædes suaviter ulnis,
 Quæ tecum nudo corpore bella geret.
 Quam genuit sumptis cygni cum Iuppiter alis
 Repserat in thalamum candida Leda tuum.
 Sed nunc connubio est Menelao iuncta feroci,
 Qui tam formosa coniuge lætus agit,
 Attamen efficiam tecum ut pernauiget æquor,
 Hucusq; ad Phrigij pingua rura soli.
 Ipse etiam præsens aderit, mea cura Cupido
 Navis ut erata turgida uela regat.
 Ne dubita fiet per conscia sydera iuro,
 Per Styga, quam cuncti Dijq; Deæq; timent.
 Hic Paris addubitan tristato corde uolutat,
 Tandem ait: Hoc pomū tu cape pulchra Venus.
 At Iuno irarum uehementi fluctuat æstu,
 Et magnum memori pectore uulnus alit.
 Sic ait: Hei quantas in Troiam conijcis ignes,
 Hei mox in præceps Troica regna dabis.
 Veliuola uenient procures cum classe Pelasgi,
 Miscentes forti prælia seu manu.
 Tunc Simois, Xanthus, Phrigiæ clarissima terræ
 Flumina, sanguineo tincta colore fluent.

Dixit

PARIDIS.

Dixit: & Aemonias remeat cum Pallade ad ora;

Dardanio nunquam quæ fuit æqua solo.

Imò etiam Phrigiæ tristissima quæq; minatur.

Leta sed aligeri mater Amoris erat.

Cui mox gradantur Charites, cæcusq; Cupido;

Et dant uictrici myrteaserta Deæ.

FINIS.